





29

1726

27

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

PASSIONIBVS

COLICIS ET ILIACIS

PRVDENTER AVERTENDIS ET CVRANDIS

QVAM

PRAESIDE

DN. D. CHRISTIANO VATERO

PATHOLOG. PROF. P. NEC NON CONSILIARIO CVRIÆ
ET ARCHIATRO ANHALT. ITEMQVE PHYSICO
PROVINCIAL. SAXON. ETC.

DOMINO PATRONO ET STVDIORVM SVORVM PROMOTORE
CONSENSV FACVLTATIS GRATIOSAE

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

PRO GRADV DOCTORIS

AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

AD D. OCTOB. M DCC XXVI.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SVETIS

ERVDITORVM EXAMINI EXHIBEBIT

FRIDER. EPHRAIM EFFENBERG

SEIDENB. LVSAT.

VITEMBERGÆ,

LITERIS VIDVAE GERDESIAE.





Quo frequentius quilibet morbus homines affligit, quoque plus doloris & periculi habet, eo majorem semper Medicorum præcautionem, attentionem & diligentiam requirit. Quandoquidem alias præcipua eorum cura esse debet, ut, quantum possibile, sanitatem hominum potius integram servare, quam labefactatam jam, magno cum labore & vitæ periculo vix ac vix quidem restaurare studeant. Turpius enim hic quoque ejicitur, quam non admittitur hostis tam ingratus, tam infidus & insidiosus: Atque talis præ multis aliis est intestinorum dolor tam frequens, tam ferox & truculentus, ut ne quidem Heroes magnanimi eundem, si vires acquisivit, tolerare vel superare potuerint; quin imo acerbitate ejus coacti, observante jam Galeno, violentas sibi manus injecisse leguntur: Præterea hic morbus omnium fere frequentissimus est, qui ubivis locorum, & tempore quovis, ex levi sæpius in diætâ errore ventriculum & totum canalem alimentorum, tanquam primum offensionis lapidem affligit, indeque primam

mam præcipuamque ad sanitatem conservandam curam requirit. Et hæc mihi ratio fuit, quare argumentum istud, loco speciminis inauguralis, consensu Gratosi Ordinis, pertractare constitui. Faxit arbiter & conservator vitæ nostræ clementissimus, ut in ipsius gloriam ægrorumque solatium & salutem vergat!

THES. I.

*Intestino-
rum tex-
tura &
constitu-
tio natu-
ralis.*

Non sine ratione dixi, quod canalis alimentorum, nimirum ventriculus & intestina, tenuia & crassa primus quasi lapis & locus offensionis sint, ubi tot in Diæta, imprimis ex alimentis & potulentis, quotidie assumendis, errores commissi prima & præcipua morborum innumerabilium semina & fundamenta præparant. Ea etenim plerorumque hominum indoles & consuetudo est, ut, iuasus & ductu solius appetitus, omnis generis cibos potusque acidos, falsos, aromatibus variis conditos, itemque pingues, oleosos, saccharatos, fermentabiles, uno eodemque prandio, vel cœna, eosque præterea tempore, modo & quantitate minus convenienti, sine consilio & deliberatione, quotidie assumant; Vel, ut Poeta loquitur, ubi assis miscentur elixa simul & conchylia turdis; ubi immarcescunt epulæ damnosæ, sine fine petitæ. Ex quo deinde fieri non potest, quin tot quoque cruditates, impuritates & flatu
continuo

continuo de novo generentur & cumulentur; quæ nisi bonitate naturæ, aut etiam remediis aptis rursus eliminantur, necessario turbas varias, vomitus, diarrhæas, dysenterias, obstructions, aliaque innumera mala, semper doloribus & torminibus ventris supata excitant; utpote quæ omnia ex uno eodem fonte, tanquam cornu copiæ, fluunt, uti e sequentibus patebit.

THES. II.

Colica, uti in vulgus notum, est dolor acerbus *Hæc sunt*
 intestini quidem potissimum magni, Coli, dicti, *subjectum*
 qui tamen, si augetur, ob continuitatem totius ca- *passionum*
 nalis, simul reliquas ejus partes, nimirum jejunum, *istarum.*
 ileon & cæcum, imo & mesenterium connexum aliasque partes simul affligit, indeque dolor iste modo cardialgia, modo iliaca, vel colica passio, pro diversitate partis præ cæteris affectæ, vocatur. Totus enim ille canalis a principio œsophagi & ventriculi usque ad ejus exitum e tunicis & membranis mere nervosis, adeoque maxime sensibilibus constructus, pro diversitate tamen functionum, quibus destinatus est, diverso præterea mechanismo admirabili gaudet. In œsophago tunica interior nervea & musculo-fibris carnis, iisque duplicis ordinis circularibus & longitudinalibus gaudet, ut his mediantibus tam prompte se constringere & dilatare, omniaque

contenta, etiam minima, solida & fluida, sursum & deorsum, pro necessitate, propellere possit. Postquam vero hæc thoracis cavum & diaphragma nervosum penetravit, & in ampliorem quasi utrem, seu ventriculum expanditur, non solum texturam suam nerveam & tendineam servat, sed insuper longe plures adhuc nervos, nervorumque plexus a pare vago & intercostali, pro exquisitissimo appetitus sensu & motu peristaltico, ad digestionem ciborum tam necessario, accipit. Deinde quoque reliqua intestina, tenuia & crassa nervos rursus novos a plexu mesenterico concurrentes accipiunt, ut his mediantibus alimentorum tam variorum digestionem, præparationem & impuritatum ab iisdem secretionem & excretionem sufficere queant. Quibus omnibus ita comparatis facile patet, quod vel unica ex partibus istis nervosis, membranosis & maxime sensibilibus graviter afflictæ, reliquæ omnes statim in consensum trahantur, saltem quod pro diversitate loci, primum & primario affecti, passio ista modo cardialgia, modo colica, vel iliaca denominetur: Quemadmodum etiam hæc ultima propter acerbissimos dolores aliaque symptomata concurrentia gravissima, quæ omnium adstantium commiserationem excitant, miserere mei audit.

THES. III.

THES. III.

Causa ergo afflictionum & dolorum istorum omnium proxima nulla alia est, quam vehemens irritatio, vellicatio, punctio & tensio partium illarum nervosarum, undecunque etiam excitata, propter quam læsionem nervorum membranarumque nervosarum non solum succus illorum, & in eo Spiritus animalis in motu suo naturali vehementer turbantur, confunduntur, & in motum plane irregularem rediguntur, sed quoque mens, tanquam ipsorum archæus, director & moderator suo modo, propter intimam cum corpore unionem, simul in confensum trahitur & contristatur, & sic, uti in omni dolore, tristis illa sensatio & indignatio mentis excitatur.

THES. IV.

Itas vero nervosi generis in intestinis omnibus tam graves læsiones, vellicationes & punctiones causæ nimis multæ & variæ efficere possunt & solent, eæque tam naturales & domesticæ, quam non naturales & plane præternaturales. Ex rebus naturalibus omnino etiam temperamentum per naturam magis phlegmaticum & frigidum, uti totius corporis, ita & viscerum, ad has passiones quam maxime disponit, quando ob illorum tonum admodum

dum debilem & laxum alimenta, etiamsi satis salubria, & moderata quantitate assumpta, tamen non rite digerunt, indeque multas cruditates viscidas & flatulentas, tanquam fomitem mali hujus præcipuum efficiunt. Ex quo etiam fit, quod infantes & pueri, imo & senes, nec non fœminæ phlegmaticæ eidem malo præ cæteris magis obnoxia observentur.

THES. V.

Sed longe plura malorum istorum irritamenta in rebus ita dictis non-naturalibus occurrunt; inter quas, uti jam antea monitum, alimenta & potulenta, sive per se noxia, aut solum quantitate & modo minus decenti assumpta, ventriculi & reliquorum intestinorum calorem & tonum debilitant, digestiones & secretiones debitas impediunt, unde necessario cruditates viscidæ, austera, nidorosa, acidæ, fermentescentes & putrescentes, loco chyli, relinquuntur, ac in cellulis intestinorum colliguntur. Talia potissimum sunt omnia cruda, crassa, viscosa, pinguis, fermentabilia, flatuosa, itemque austera, adstringentia, fumo indurata vel muria condita: eaque præcipue, si, uti antea monuimus, quantitate, tempore & modo minus decenti assumuntur. Notum etiam est, colicas passiones a placentis calidis & pinguibus, pane calido butyro imbuto, carnis

nibus pinguibus, imprimis vervecinis, fuillis, anserinis, anatinis & similibus, in multis hominibus toto die oriri, imprimis, tenerioribus, frigidis vel etiam cholericis, si largius quam par est, assumuntur. In infantibus & pueris tenerioribus lac & lactinia corrupta, fructus horæi, vermes, saccharata aliaque id efficiunt. Dantur quoque cerevisiæ, vina aliaque potulenta crassa, fermentabilia & flatuosa, quæ passionibus istis maxime patrocinantur. Novimus virum alias satis vegetum & robustum toties colicam sensisse, quoties de gallo indico saginato, etiam si cum appetitu ederet, idque procul dubio propter pinguedinem ejusdem temperamento cholericæ & scorbuticæ s. idiosyncrasiæ contrariam. Ita ova piscium variorum, imprimis barbi in subjectis cholericis sæpius cholericas & colicas passiones creare observantur, propter naturam salino-oleosam & acrem, qua pollent: uti Magnif. DN. PRAESES *Dissert. de cholera & cholericæ passione* prolixius demonstravit. Alii a casei imprimis antiqui & putridi abusu malum sentiunt. Imo ipse aquilonius & austrinus crassus nebulosus & malignis effluviis imbutus malum excitare possunt, quod testantur Colicæ epidemicæ, qualis fuit, quæ an. 1600. multa Germaniæ loca peragravit teste *Sennert. Instit. Lib. 2. P. II. & Italica teste Langio Epist. Medicin. 55. & Zacut. Prax. admir. l. 2. Obs. 21.* Cujusmodi exempla fideliter monent, ut quilibet ad malum hoc proclivis in tem-

B

pore

pore sibi cavere discat. Id quod etiam de animi affectibus gravioribus, imprimis ira observare mendum, quoniam universam corporis œconomiam, omnesque digestiones & secretiones perturbant, & sic malo huic fontico occasionem præbent.

THES. VI.

*Præter
naturalis.*

Nunc vero præter illas causas multas, adhuc plures aliæ, e numero rerum plane præternaturalium concurrunt, nimirum morbi & Symptomata varia, itemque venena, philtrea, purgantia fortiora, aliæque injuriæ extrinsecus illatæ. Primo loco hic stant malum sic dictum hypochondriacum, eidemque affinis Scorbutus, Lues venerea, & calculus non solum in renibus & vesica urinaria, sed in ipsius quoque bilis, liquoris illius balsamici, ad digestionem & chylificationem ciborum omnium, imo ad secretionem fœcum intestinorum quotidianam, tanquam clysteris nostri summe necessarii, colatoriis sæpe reperiendi, utpote qui morbi, variis modis passiones nostras procreare solent; Et quidem malum hypochondriacum, ubi alias omnes primæ viæ colluvie humorum viscidorum, plus minus acidorum, austerorum, biliosorum undiquaque scatent; in specie quoque ventriculi menstruum, succus pancreaticus, & lymphæ intestinalis iisdem qualitatibus vitiosis imbuti, etiam alimenta optima inquinant, ex quibus

bus quotidie nova recrementa talia, novi flatus, nova tormina, eaque communiter ob austeritatem & visciditatem eorum cum pertinaci obstructione alvi conjuncta, oriuntur: Si cacochymia totius Sanguinis scorbutica falsa concurrit, exinde etiam per salivam, ventriculi menstruum, bilem & succum pancreaticum, nec non lympham intestinale viuosam malum augetur & fovetur, id quod multo magis de Lue venerea, cujus proinde soboles colica a *Willisio* appellari solevit, observantur. Quid dicamus de rebus aliis, præter solitum sæpe concurrentibus e.g. purgantibus & vomitoriis drasticis, aut tempore & modo minus convenienti adhibitis: itemque venenis, opiatis, aliisque injuriis ab extra illatis. Novimus, qui pilulis aloeticis largitus adhibitis sibi malum conciliarunt: Ita quoque calculus non solum in renibus, sed etiam in vesica biliaria, colicas & iliacas passiones efficiunt; ille quidem solum nervos renales graviter irritando, & sic ob vicinitatem & continuitatem illorum simul mesenterium & intestina in consensum & motus spasticos trahendo, hic vero simul bilis, tanquam balsami, ad chylificationem bonam uti diximus, prorsus necessarii, affluxum simul inhibendo, de quibus exempla insigniora apud *Horstium*, *Blasium*, *Bonettum* & alibi legi possunt. Idem etiam colicam diuturnam & incurabilem a suppuratione glandularum in mesenterio annotavit; a pancreate vero exulcerato

Higmorus Disquis. Anatom. a Strumis mesenterii VVarthonius in Adenographia & Villifius in Pathol. Spasmod; ab intestini Coli per lapsum præcipientem e curru plane extra fitum suum naturalem dimoti *Dn. PRAESES* vidit. Quo respectu etiam omnes herniæ inguinales, & in specie vaginales, exterius minus sensibiles, quod probe observandum, itemque scrotales & umbilicales, ad classem causarum istarum pertinent: Dum enim intestina extra fitum suum naturalem protruduntur, fieri non potest, quin simul variis modis contorqueantur, constringantur & comprimantur, ex quo deinde sæcum intestinalium transitus liberior inhibetur, fæces diutius, quam par est, remoratae incalescunt, flatus exinde orti, conglomerantur, eoque ipso simul Sanguinis circuitus, potissimum in parte intestini prolapsa & contorta, vel etiam nimium extensa inhibetur; consequenter dolores atroces, ex his convulsiones, inflammationes, &, nisi in tempore medela invenitur, gangræna & sphacelus insanabilis inducitur.

THES. VII.

*Differen-
tia ista-
rum pas-
sionum.* **A**tque ex his solum patescit, quam varia sit passio Colica & Iliaca ratione causarum, subjectorum, & complicationum cum aliis quamplurimis morbis, adeoque modo humoralis, modo flatuosa magis, pituitosa vel biliosa, convulsiva simplex

plex vel cum aliis variis morbis complicata, hypochondriaca, hysterica, nephritica, a vermibus oriunda & sic porro: Malignam & Epidemicam ex aeris maligni culpa oriundam legimus apud Zacut. Lusitan. Prax. admirand. L. II. Obl. XXIII. Sed unde in specie *passiones Colica in specie.* passionem colicam & iliacam, sic dictam oriuntur, & quomodo accurate dignoscantur, nunc videbimus. De intestino Colo mirum non est, quod tam frequenter a causis antea allatis patiarur, quoniam alias excrementorum alvinorum collectioni & ulteriori preparationi destinatum, præ cæteris amplissimum multisque anfractibus & cellulis instructum est, ubi ob errores multiplices in Diæta commissos, recrementa ista acria, flatulenta eo largius colliguntur, intra anfractus istos diutius retinentur, magis corrumpuntur, consequenter intestinum nimium distendunt, pungunt, rodunt & sic dolores tam crudeles, imo motus simul spasmodicos inducunt: Hinc observationes & exempla insignissima de hoc intestino, sæcibus modo glutinosi, mucosi, modo scabacis valde putridis, nimium repleto & in magnitudinem enormem extenso apud *Fernelium, Schenckium, Stalpart d. Viel Bonettum,* & alios legi possunt. Sed sciendum etiam, quod causa mali non semper in cavitate intestini hæreat; sæpius inter tunicas ipsius musculosas & nerveas, serum ejusmodi acre & flatus ex ipso sanguine & succo nervorum vitioso ibidem, data occasione, congeruntur,

*Ejus signa
specialia.*

runtur, eoque gravius fibras nerveas immediate vellicant, rodunt, eoque ipso motus spudicos, nullis etiam clysteribus facile mitigandos, excitant. Ea igitur ejusdemque causæ speciales quæcunque cognosci debent & possunt ex ipso loco dolente & situ hujus intestini, quoniam in inguine sinistro, ubi quodammodo angustius, & mediante plica insigni, tanquam valvula speciali ab intestino ileo distinguitur, indeque deorsum versus hypochondrium primo dextrum, deinde sub ventriculi fundo ad sinistrum, in forma Signatis, flectitur, & valde ampliatur, dolor ille percipitur, isque communiter, si non semper, tamen per intervalla ab uno latere in aliud penetrat: Cui si deinde etiam alia signa e circumstantiis, tam antecedentibus, quam concomitantibus & consequentibus, ipsis quoque juvantibus & nocentibus petita, conjunguntur, tunc facile non solum ab iliaca, sed etiam a nephritide, aliisque affinibus facile diiungi potest.

THES. VIII.

*Iliacaf-
sio vel
Volvulus.*

Quod vero Iliacam passionem attinet: Illa maxime circa umbilicum, in intestino illo, reliquorum omnium longissimo, in gyros multos circumflexo, & præ reliquis canalis hujus partibus valde nervoso sentitur. In hoc intestino, quoniam præ ceteris, tenuius valde nervosum, & exquisitioris

tioris sensus est, dolor quoque a causis prioribus irritantibus magis acutus excitatur, adeo ut facile exinde in motus spasmodicos redigatur, & uti alias mediantibus suis fibris spiralibus a principio usque ad colon continuo motu peristaltico, ad meliorem alimentorum digestionem, & fecum secretionem se dilatat & constringit, ita tunc potius, ob graves irritationes, motu antiperistaltico sursum convellitur; indeque sæpe fit, quod non solum feces in ejusmodi miseris ex ipso colo simul per superiora propellantur, sed quoque pars intestini ilei, modo inferior in superiorem, modo hæc in inferiorem cogatur et ita constringatur, ut vix manibus post mortem evolvi queant; ubi simul abdomen cum intestinis chordæ instar extenditur & *Chordapsus* vocatur. *Chordapsus.*
 Reperiuntur quidem etiam inter recentiores *Doppsus.* doctores, quibus hæc insertio intestinorum, ob connexionem cum mesenterio, prorsus impossibilis videtur, uti videre est in *Bibliotheca Anglican. Tom. II. Part. II. Act. 8.* Sed eosdem experientia & autopsya refutat. *Dn. PRAESES* adhuc intestina Infantis XVIII. septimanarum conservat, in quibus duplex ejusmodi invaginatio manifeste videtur, uti etiam *Sylv. Prax. Med. L. I. C. XV.* descripsit & observavit. Cujusmodi exemplum maxime notabile, in puero quatuor annorum valetudinario, ex hoc malo tandem defuncto *D. Barbeck*, Ducis Burgundiæ, Archiatro, uti referunt in *Actis Berolinens. Dec. II. Vol. IV.*
 obser-

observavit; ubi etiam recentissimum exemplum in Matrona, ex hoc morbo, ob portionem ilei una cum omento in dilatatum annulum processus peritonæi dextræ per convulsiones antecedentes ad actam, defuncta habetur: Et *Zwingerus in Præfat. de Cicuta aquat.* refert, puellam ex arsenico, per incuriam hausto, intestina non solum inflammata & siderata, sed simul quintuplicem ilei subingressum habuisse, quarum minima mediæ digiti longitudinem superavit, bina vero illarum a superiore intestini contignatione inferiora versus, & reliquæ superiora versus factæ repertæ sunt. De quibus plura adhuc in *Ephemerid. German. D. II. A. VII. Cent. VI. Obs. XXXIX. Mangett. in Bibliothec. Anat. C. X. item apud Beyerum de Intestinorum glandul. videri possunt.*

THES. IX.

Prognosis. **H**is que omnibus ita observatis, facile iudicium prognosticum fieri potest, quid de eventu harum passionum sperandum. Omnes omnino multum periculi habent, quoniam partes mere nervosæ & membranosæ, adeoque præ omnibus aliis ad dolores exquisitissimos & convulsiones, nec non ob teneritatem & angustiam vasorum sanguiferorum ad inflammationem, gangrænam & sphacelum recipiendum aptissimæ, hic affiguntur. Tamen ob diversitatem causarum tam multiplicium,

cium, nec non temperamentorum, ætatum & complicationum, cum multis aliis morbis, periculum quoque variat. Facilius curatur ab erroribus solum levioribus in diætâ commissis, & ubi nulla cachexia, vel cacochymia maligna, aut viscerum aliquod vitium subest, & simul concurrit. Ita quoque tutior est colica simplex, quam cum aliis morbis gravioribus complicata; pituitosa magis & flatuosa in subjectis phlegmaticis, quam biliosa in cholericis; per intervalla remittens, quam continua; gravativa & tensiva magis, quam pungitiva, terebrans & urens &c. si cætera quoque paria fuerint; Pariter salutaris eventus sperari potest, si excrementa alvi & flatus interdum aliqualem exitum inveniunt, & æger exinde levamen aliquod percipit. Sed pessimus rerum status est, ubi alvus ita impedita, ut nihil, ac ne flatus quidem emitti possunt: vel ubi fœces, more ovilli stercoreis in globulos intortæ, aut ut stercus bubulum leve, spumofum atque aquæ innatantes excernuntur: Hoc enim paralyfin, illud vero convulsionem & crispationem intestini jam præsentem indicat, ubi nec alvus laxa semper tuta, nisi æger levamen sentiat & reliqua consentiant: Adhuc majus periculum fit, quando singultus, ructus, & vomitiones crebriores assumptorum, vel vermium cum refrigeratione & distensione extremorum sudoreque gelido, syncope & delirio, accedunt; quando al-

vus ita clauditur, ut ne quidem clysteris fistulam admittat, fæces vero alvinæ cum fætere per os efferuntur. Rarum est, ægros quosdam etiam hæc mala superasse, quando forte ab herniis orta, eorundemque subitanea medela inventa. *Vid. Bonet. Medicin. Septentr. & in sepulchret.*

THES. X.

*Modi e-
ventus.*

Alias etiam colica præter convulsiones, sæpe in paralyfin lateris alicujus abit, quando nervorum vicinorum & connexorum tonus atrocitate dolorum plane destruitur; ad hydropem vero, in cachecticis transit, quando inter motus convulsivos abdominis, non solum secretio feri in visceribus digestoriis & secretoriis turbatur, sed quoque vasa illorum lymphatica distorquentur, aut plane rumpuntur: *Henricus ab Heer* Intestinum colon plane ruptum observavit; *Thonerus vero Libro Observationum suarum*, epilepsiam & visionem duplicatam exinde ortam vidit, idque procul dubio, ob nervorum ad oculos pertinentium convulsiones, indeque situm oculi alterutrius immutatum.

THES. XI.

*Cura præ-
servato-
ria.*

Quandoquidem ergo mala hæc, imprimis si vires acquirunt, tam, perniciofa, acuta, & cum præsentaneo vitæ periculo conjuncta sunt, adeo, ut
judice

judice jam Hippocrate de Affect. c. II. & Galeno L. VI. de Loc. Affect. vix centesimus a volvulo sanus evadat; Vel, uti Lindanus loquitur, illum Deo præcæteris dilectum esse oporteat, qui modo sperare auit, se ex morbo iliaco evasurum: Ideo certe Medicum non solum officiosum & promptum, sed propter seriem & copiam causarum, tam diversarum, valde circumspectum & prudentem requirit: Uti enim in aliis morbis, ita hic cum primis observandum, quæ medendi ratio & forma cuilibet ægro conveniat; quoniam universalis causis tam diversis, & plane contrariis, nec non temperamentis & complexionibus, vel morborum complicationibus innumeris sufficientia, plane non dantur, uti quidem a panacæarum patronis empyricis venditantur: Varianda ergo sunt omnia remedia, pro conditione individuorum & causarum morbificantium tam in avertendis, quam curandis his malis. Ipsa quoque ratio sana dicitur, quod alia prorsus remedia ægris hisce conveniant, quibus sanguis fervidus & biliosus succi abundant, alia, quibus sero mordaci scorbutico perfusa omnia; rursus alia, quibus saburra acida, austera, vel alcalica ventriculum & intestina occupavit, aut quorum viscera ipsa admodum tenera & delicata sunt.

THES. XII.

*Ratione
temporis
instiguen-
da.*

De cætero etiam non exiguum curæ momentum in his præcipitibus malis situm est; ut principiis resistatur, nec ferius quam par est medicina paratur. Communis quidem hominum opinio est, Medicorum munus in eo tantum consistere, ut ægros tantum sanare studeant, sanos horum consilio nihil opus habere, indeque fit, quod raro ab iisdem in auxilium vocentur, antequam morbus ad summum auctus, ægerque in maximo vitæ periculo versatur; Sed ignorant illi, quod hi tantum naturæ ministri, ejusdem ope semper opus habeant, & sine ea optimis licet & efficacissimis remediis parum, vel nihil juvare possint. Antea vero jam notavimus, quod mala hæc nostra, potissimum & plerumque ex diætæ erroribus oriantur, quando non ad tollendam, uti Seneca loquitur, sed irritandam potius famem mille condituras & variationes quærunt, ut, quæ esurientibus alimenta esse debebant, illis onera fiant. Quare omnes, qui his malis tentari solent & sanitatem amant, monendi ante omnia sunt, ut diætæ suæ rationem sollicitè habeant, & ea omnia, a quibus passiones tales sentiunt, cane pejus & angue evitent, e contrario, quæ minus lædunt, eligant: Hoc solo artificio observato, etiam teneriori corporis constitutione præditi, imo valetudinarii, ab his aliisque

morbis, nisi causæ aliæ præternaturales & injuriæ externæ interveniunt, immunes erunt.

THES. XIII.

Ubi vero malum jam præsens, tum rursus eo respiciendum, ut causa quæcunque ea sit, quantum fieri potest cito removeatur, aut si hoc statim fieri nequit, dolores tamen prudenter mitigentur, symptomata alia imetuenta, avertantur & vires ægri conserventur. Et quoniam, uti antea vidimus, passiones istæ, communiter a pravis humoribus, & flatibus, in primis viis, per errores diætæ collectis oriuntur, eo ante omnia laborandum, ut alvus semper aperta fervetur, non quidem purgantibus drasticis, sed blandioribus, simul humectantibus & dolore lenientibus; qualia sunt salia enixa temperata, Tartarus Vitriolat. Nitrum depuratum & antimoniatum, Arcanum duplicatum, Tartarus essentialis, liquor terræ ejus foliatæ, Cremor tartari rite paratus. Hisque sociata simul emollientia, lubricantia & abstergentia, usu & experientia satis comprobata; nim. Ol. amygd. dulc. raparum, papaveris vel etiam commune, itemque sperma ceti cum saccharo vel manna premistum, quod præ reliquis maxime proficuum semper observavit *Barbett. in Praxi sua*

R. Ol. amygd. dulc. ʒij Mannæ colat. ʒj. pulv. Giaplap. ʒj. M. detur successive cum largo vehiculo, ægro

C3 grato

grato, et ubi nausea vel vomitus non obstant: Tali remedio *Riverius* ægrum post triginta clysteres irritato adhibitos, a malo ilico se liberasse, in Praxi sua laudat. Vel R. decoct. emoll. laxativ. ꝑvj l. chamomill comm. Extract. Agaric. Cartham, aa zij vel ultra Tartar. Vitriolat. opt. ʒj Syr. ros. solut. q. f. M. detur Solum succum pomorum borsdorffianorum putridorum profuisse in *Ephemerid. Germ. Ann VI.* referunt: Tanti momenti est, etiam domestica remedia prudenter adhibere posse.

THES. XIV.

*Cura per
clysteres.*

Quod si vero hæc nondum sufficiunt, aut' medicamenta talia ab ægris per os non facile admittuntur, etiam clysmata in subsidium vocari possunt, quibus, quia per totum colon immediate diffunduntur, impuritates viscidæ & tenaces in plicis & cellulis ejus hærentes, eo facilius & citius abstergi & educi possunt; Eaque pro recrementorum istorum majori, vel minori tenacitate, etiam efficaciora & penetrantiora Medicus præparare noverit. Errant inquit *Riverius l. c.* qui in colica, a pituita vitrea oriunda, Enemata minus efficacia præscribunt: *Domina N* dolore colico exquisitissimo, corripiebatur & injiciuntur clysteres, sed sine omni effectu, advocatus Ego, invenio eam ex doloris gravitate claman-tem, præscribo clysterem ex decoct. emoll. Libr. Elect.

Elect. diaphœnicon. ℥j. Aquæ benedictæ ℥iv, quo dolor omnino ex tempore quievit, & ægra multa pituitosa cum flatibus multis excretis, convaluit. Ego quoque ipse, ita pergit, simili dolore vexatus, neque clystere emolliente & laxante, neque carminante, ad modum levatus, simili clystere levatus sum, ira, ut eo injecto omnis statim dolor quieverit, quamvis clyster non nisi post duas horas exiverit. Apud *Rolfincium Consult. Libr. VII.* fœmina triginta annorum hernia iniquinali per biennium laborans, post inordinatum corporis motum, vomitibus crebro etiam stercoreis, adstantibus molestis, correpta, quinque clysteribus antimoniatis liberabatur, etiam aliquot dierum diarrhœa subsequente. Alias tamen omnino, pro circumstantiarum diversitate, quoque mitiora locum habent; Sufficit interdum solum Decoct. chamomillæ l. simile cum melle, Therebintina in vitello ovorum soluta, Ol. Lini &c. De cætero quoque opus est, ut interdum plures injectiones eodem die, prout indicantia requirunt, repetantur, &, si uti sæpe fit, flatus nimis copiosi obstant, pars una post alteram injiciatur. Si vero tales etiam sine effectu, diutius, quam par est, retinentur, opus simul est, ut anus suppositorio convenienti sollicitetur, cavendo solum, ne illud, ob motum intestini antiperistalticum, cum fœcibus sursum propellatur, id quod etiam observante *Sennerto*, infusis, fomentationibus emollientibus impediri potest.

THES.

THES. XV.

Cura con-
vulsio-
num in
Intestinis.

Si vero præter fæcum & flatuum retentionem, etiam intestinorum convulsio, motus peristalticus aut plane intestini ilei, quam ante descripsimus & exemplis satis probavimus, insertio s. invaginatio accedit, quantocyus omnia opera danda, ut ille motus naturæ & texturæ intestinorum plane contrarius inhibeat, nervorum tonus, & in illis spiritus animalis influxus tranquillus & regularis restituatur. Idque, nisi antecedentibus remediis imperrari potest, tum adhuc alia supersunt, & quidem si pars intestini ilei inferior superiorem ingressa videtur & vivi, aut etiam globulorum ex regulo antimonii paratorum assumptio, non sine ratione commendatur a Practicis, utpote qui partim propter gravitatem & mobilitatem, partim etiam ob effluvia sua, imprimis ex regulo se exferentia & stimulantia, intestini crispata extensionem & explicationem adjuvare observantur e. g. R. ꝑij vivi satis depurati ꝑij. iij. l. ultra Ol. amygd. dulc. ꝑi. Vini Hispan. opt. ꝑij. M. pro haustu. *Valesius Comment. in Hippocr. Libr. Epidem. Sect. 6.* pulcherrimam inquit, & mihi jam experientia probatam docet curationem volvuli, non quidem omnis, sed ejus, qui a flatu crasso distendente, fæces duras ad intestina gracilia afferente, aut succo frigido impactato ortus; Talem nimirum nihil melius solvit, quam vinum merum, debito tempo-

tempore datum; id quod eo magis sperandum, si cum viro datur. Si vero pars intestini superior ingressa fuerit inferiorem, tunc effectus tam certus a se expectari non potest, quoniam plicam intestini facile transit, & sine effectu subito elabitur: In ejusmodi extremis ergo extremum quoque remedium, inflationem nimirum intestinorum per anum, mediante folle. *Hippoc. Lib. 3. de morbis* commendavit. Idque deinde Practici celebriores *Amatus Lusitanus, Epiphanius* aliique salutare experti sunt: quorum ille filium *Altomari*, ex colica & iliaca fere pereuntem, ejusdem ope ex orci faucibus eripuit; optimo omnino consilio, quoniam intestina inferiora convulsa & contracta nullo alio facilius & citius, quam hoc ipso remedio extendi possunt, præcipue si alia quoque emollientia & lubricantia præmissa & conjuncta fuerint.

THES. XVI.

Sed nunc videndum, quomodo etiam flatus, qui non solum in cavitate intestinorum, sed inter substantiam & tunicas eorum hærentes, tormina eo graviora, imo convulsiones istas excitare solent, prudenter educi & dissipari possint. Præmissimus eo fine remedia emollientia & lubricantia, quoniam omnia, quæ vias laxant, simul efficiunt, ut flatus incarcerati cum pace per vias apertas eo facilius dimitti queant: absurdum enim foret,

*Cura flatus
in
specie.*

D

foret,

foret, flatus per carminativa medicamenta discutere velle, & tamen exitum denegare. Quemadmodum alias flatus non solum carminativis, sed aperitivis & præcipitantibus auscultant: Qui hæc ignorat, nunquam feliciter colicam & iliacam curabit: Hic quoque valet illud: Qui bene distinguit, bene curat. Sciendum ergo est, quod pro ratione temperamentorum, causarum aliarumque circumstantiarum, in passionibus hisce, modo proficiant volatilia, urinosa castoreata; ut Essent. Castor. vol. Salutaris, Fuligin. Clyff. alcalic. Spiritus C. C. Fulig. Tartar. &c. modo subacida volatilia & penetrantiora Spir. Nitr. & Vitriol. dulc. modo salina media, ut. Arcan. duplicat. Tartar. Vitriolat. Tinctur. Tartar. Antim. Rhabbar. modo nervina & paregorica, uti sunt Theriaca, Mithridatum, Diascord. decoct. flor. Sambuc. chamæmil. aneth. cumini, e. g. R. Essent. Carminat. D. PRAESID. Castor. vol. aa. ʒij. Anodyn. ʒj M. R. Diascord. Fra castor. correct. ʒij l. Theriac pulv. nervin. l. epilept. ʒj. l. ij. v. Chamæm. compos. D. PRAESID. Sambuc. an. ʒiij. Carminativ. ʒj. Spiritus Vitriol. dulc. ʒj. Syrup. cortic. aurant. q. s. Detur cochleatim. Neque omittenda hic sunt extrinseca paregorica, dolorem lenientia & flatus discutientia: Cui usui Inserviunt olea & linimenta nervina nec non Sacculi e floribus Sambuc. chamæmel. Herb. ruth. absynth. Baccis lauri, Sem. carvi & similibus.

Quo

Quo etiam pertinent clysteres ex fumo tabaci per anum immiffi, de quibus *Bartholinus Cent. IV. Epist. 92.* & *St.fferus in peculiari Tract. de instrumentis*, ad hoc negotium aptis, videri possunt. Quidque valeant in hoc casu, *Pharmacopæus Genuensis*, referente *Bonetto in Mercurio suo comparat*: expertus est: Ille enim malo iliaco gravissimo afflictus, cum nullis remediis alvus solvi potuit, neque globulis uno aureo, altero plumbeo, imo ipso $\text{℥}i\text{o}$ ad $\text{ʒ}iij$ sumpto, tandem immisso fumo tababaci, per fistulam vulgarem, a præsentaneo vitæ periculo fuit liberatus.

THES. XVII.

Atque his omnibus mala hæc tam periculosa & insidiosa, ope divina non solum evitari, sed quoque curari posse putamus, nisi res plane desperata fuerit. Adhuc quidem morbi varii tanquam causæ speciales supersunt, a quibus ista excitantur & foventur, uti sunt malum hypochondriacum, scorbutus, lues venerea, herniæ aliique, quorum curam hic afferre nimis prolixium foret. Prudens Medicus etiam

D 2


his

his intervenientibus satisfacere noverit: Tantum adhuc plethoricis, aut solum sanguine (corbutico fervido præditis præter antea, commendatum diætæ regimen, Venæ Sectionem in tempore instituendam, tanquam optimum præservatorium & curatorium commendamus; Et *Martiani Consilium*, qui *Commentar. in Hippocr. L. de veteri Medicina* meminit Pharmacopæi alicujus XL. annorum, qui per multos annos colico dolore vexatus nullum aliud remedium invenire potuit, præter aquæ potum, & quamdiu in eo perseveravit, prorsus incolumis remansit, quoties vero ad vini usum redire voluit, intra biduum eodem malo corripiebatur; idque procul dubio ex eo, quod cacochymia acida quam in ventriculo & visceribus æger habuit, per vini usum auctum fuit: Id quod etiam *Riverius* sua experientia comprobabat, quando *Cent. IV. Obser. XLIX.* inquit: testari possum, me sæpius observasse, iis, quibus cibi in ventriculo acescunt vel bilefcunt omnia remedia irrita fuisse, quamdiu vinum potarunt, eo autem dimisso, e vestigio sanatos esse.

Tantum hac vice fit.

SOLI DEO GLORIA.





ULB Halle

3

004 057 635




1018

f

Sb.





29

1726

29

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
PASSIONIBVS
COLICIS ET ILIACIS

PRVDENTER AVCTORENDIS ET CURAVIT

DN. D. CHR
PATHOLOG. PROF. I
ET ARCHIATRO J
PROVIN
DOMINO PATRONO E
CONSENSV F
IN ACADI
PRO GR
AC PRIVILE
AD D.
IN AV
HORIS ANTE
ERVDITORY
FRIDER. EPI
S
VI
LITERIS

